D. D.

AMPHIMERINA CATARRHALIS,

QUAM,

CONSENSU AMPLISS. FACULT. MED.
IN REGIA ACADEMIA UPSALIENSI,

SUB PRÆSIDIO

VIRI EXPERIENTISSIMI

D:N DOCT. NICOLAI ROSÉN,

S:Æ R:Æ M:TIS ARCHIATRI,
MED. ET ANATOM. PROFESS. REG. ET ORD.
ACAD. SCIENT. STOCKH. ET UPSAL. SOCII,

PRO GRADU *DOCTORIS*

PUBLICÆ CENSURÆ SUBMITTIT
ALUMNUS REGIUS,

JOHANNES GUSTAVUS WAHLBOM,

Calmarienſis,

IN AUDIT CAROL. MAJORI DIE 27 JUNII
ANNI MDCCL.
HORIS, ANTE ET POST MERIDIEM, CONSVETIS.

HOLMIÆ,
Typis LAURENTII SALVII.

REGII COLLEGII MEDICI
PRÆSIDI,
ARCHIATRO,
NOBILISSIMO ATQUE AMPLISSIMO VIRO,
DN. DOCT. EVALDO RIBE,
ATQUE
ASSESSORIBUS,
VIRIS NOBILISSIMIS & EXPERIENTISSIMIS,

DN. DOCT. ABR. BÅCK,
S:æ R:æ Maj. Medico ordin.

DN. D. MART. REEF,
Medico Regio.

DN. D. WILH. KAMECKER,
Medico Aulico.

DN. D. ZACH. STRANDBERG,
Poliatro Holmenſi.

DN. D. JOHAN WESTMAN,
Med. Claſſ. Reg.

Diſſertationem hanc, de Febri Amphimerina catarrhali, ſumma animi pietate dedicat atque commendat

AUCTOR.

Proëmium.

Specimen aliquod Academicum jam editurus, nonnulla circa inſtitutum præmonere conſultum duxi, quod iis commotum Te L. B. eo benigniorem frontem animumque allaturum confidam, ſcilicet cum ſignificaverim febrim Tibi hac opella ob oculos poni, quæ non tantum copias regni noſtri, bello ultimo, funeſtiſſima clade proſtravit, ſed & in exercitus comitatu ad interiorem hanc regni provinciam prorepens, Parnaſſum ipſasque muſas lætale ſuo veneno contaminabat. Illa, inquam, licet a ſagacisſimis medicinæ magiſtris, validisſimis mediis apud pleroſque feliciter profligata, ad hunc usque diem apud nos, ſed alio nomine commemorare impudens non dubitavit, quid quod in ipſis Æſculapii filiis, prout inimicisſimis, vindictam una cum funeſtisſimo viro, cruento ſuo ore evomere neutiquam recuſavit, inter quos ego non ſolus

lus experientisſimus. At ex ipſis orci faucibus, afflictiori licet conditione, ereptus, non potui mihimet temperare, etjamſi antea luculentius deſcriptus ſit morbus ille a Celeb. D. Arch. & Præſide in Actis Stockholm. Anni 1744, quo minus, larva ei detracta, conarer, ut genius una cum antidoto, omnibus eo melius pateret; ſi vero votis non ex aſſe reſpondeat eventus, vel ſi delicatiori cuidam palato minus arrideat rudior ſtylus, ut omnia gratiæ Tuæ L. B. ſipario obtegas, oro atque obteſtor.

DEFI-

DEFINITIO.

Amphimerinam generali nomine definimus, per *Febrim continuam, cum quotidiana junctam.* Sed cum peculiarem tantum ſpeciem hujus generis in præſenti deſcribere nobis propoſuimus, hanc nuncupamus: *Amphimerinam Catarrhalem malignam vel petechizantem.* Vel, ſi placet, *Febrim continuam catarrhalem malignam, cum quotidiana conjunctam.*

DIFFERENTIA.

Morbos, qui cum pulſu celeri ſtadium ſuum currere enituntur, Febres omnis ævi Doctores nuncupaſſe conſtat; Quas cum longe inter ſe differre nullus non videat, in certas claſſes, notis ſatis evidentibus diſtinxerunt, idque ita, ut eas, quæ ex aliqua læſione ſolidorum in Corpore Humano ortum duxerunt, nuncupaverint *Febres inflammatorias, Phreniti-*

niti-

nitidem ſcilicet, *Pleuritidem*, *Nephritidem*, *Peſtem*, cetera. Aliæ rurſus, quæ ſedem tantum agnoſcunt, in fluidis noſtris, ſine aliqua læſione ſolidorum, ſaltem evidenti, & absque cruſta ſanguinis inflammatoria, dictæ ſunt *Febres ardentes* vel *continuæ*. Tertiam ſuperaddunt diviſionem, dum ſcilicet febris, certis diebus, ſtatisque vicibus de novo redit, patiens vero inter quemvis paroxyſmum a febre omnino liberatur, quæ *Febres* audiunt *Intermittentes*, ut *Quotidiana*, *Tertiana*, *Quartana*. Harum jam febrium intermittentium adhuc nova exiſtit diviſio, cum ſcilicet æſtuans plena apyrexia non liberatur, ſed ex duplici quaſi febre vexatur, intermittenti puta & continua, quæ quovis alterove die iterum recrudeſcit & exacerbatur, vel quod idem, remittit. Has generis humani hoſtes, *Febres* vocarunt autores *Remittentes*, *Exacerbantes* vel *Compoſitas*. Quas neque HIPPOCRATEM, patrem medicorum, prorſus ignoraſſe teſtatur Liber de Nat. Hom. in quo illas dicit ἀμφημερίνας, & Græcorum alii Συνεχὰς, *Primolocius*, Ephimerinas, & *Senertus* Continentes, ceteri.

Morbus, quem jam deſcribere animum ſubit, illis febribus annumerandus eſt, quæ quovis die remittunt, ſed quovis veſpere exacerbantur; Omni fere die urinam deponunt, cum ſedimento lateritii coloris, niſi ſymptomata aliqua, mali moris, una inſurgant; Nec cruor contrahit cruſtam inflammatoriam, niſi maligna nonnulla ſymptomata ita corpus perturbent, ut inde producatur febris aliqua a dolore vel inflammatione.

Difficile licet ſit, certas omnino tradere circumſtantias, quibus febris hæc, maxime funeſta, a ceteris

ceteris congeneribus facile diſtingvi queat; Quatuor tamen ſpecies amphimerinæ, jure optimo, enumerare, poſſumus, quæ ſunt:

1.) Amphimerina catarrhalis.
Febris catarrhalis maligna petechizans. *Junk. Conſpect.* 579.
Febris epidemica exanthematica catarrhalis, ſive petechizans. *Hoffm.* Syſt. 4. p. 226.

2.) Amphimerina frigore calore immixto.
Ephiala vera, *Galleni*, *Vallei.*

3.) Amphimerina multiplicata.
Febris algida. *Boneti.*

4.) Amphimerina caſtrenſis.
Febris Hungarica. *Junk.*

Sunt quidem alii, a quibus adhuc nonnullæ ſuperadduntur ſpecies, ut: Amphim. benigna, vel febris catarrhalis benigna. *Junk. Hoffm.*; Amphim. exquiſita; Amphim. nota. *Boneti*; Amphim. maligna ſtomachalis; Amph. epidemica anginoſa *Reverii*; Amphim. ſpuria, *Morton. Kloekhoff.* Quas omnes, ſi pro varietatibus primæ noſtræ ſpeciei, de qua jam acturi ſumus, habeamus, non omni veritatis ſpecie carere nobis videmur, prout plus vel minus maligna judicatur amphim. catarrhalis, quæ cum virium, ſine manifeſta cauſa, defectu, invadit, & ſymptomata habet neque temporibus morbi reſpondentia, neque ſignis reliquis (*). Cujus malignitatis notæ ſunt: Proſtratio virium, Calor exurens, ſed ſingulare, quod illum non ſentiant ferventes; Pervigilium, Delirium, Anorexia, Anxietas, Pete-

(*) Vide HEURNIUM *de febrib.* pag. m. 79.

Petechiæ, Aphthæ, Diarrhoea, Contagium, cetera. Sic neque pro certa nota diſtinctiva jactanda ſunt exanthemata, quippe quæ apud plurimos vel minime adſunt, vel ſuperficiem corporis non inquinant, & febris nihilominus eandem ludit ſcenam, iisdemque ſtipata ſymptomatibus.

Communi fere conſenſu morbus hic, pro febri vera petechizante habita fuit, a qua tamen tota die illum differre, quilibet videbit. Difficulter enim Petechiæ veræ, ſanantur, & brevi ægrotos jugulant; ſed ut eo lucidius diſtingvatur hæc febris, quam maxime deleteria, a febri noſtra Amphimerina, notæ nonnullæ ſaltem adducentur febris Petechizantis veræ: Debilitas & ſtatim ab initio ſumma virium proſtratio, cum animi deliqueſcentia, quæ omnia in aliis acutis morbis demum in ſtatu & vigore obſervantur; ſummus & intolerabilis, in principio ſtatim, capitis dolor & fervor; aſſiduæ vigiliæ; Anorexia; pulſus langvidus, parvus & inæqualis; decubitus inſolitus eſt atque incompoſitus, membris quaſi convolutis & corpore huc illuc jactato; pectoris oppreſſio; ſubſultus tendinum; urina ut plurimum tenuis & ſanorum ſimilis; maculæ varii coloris, & ſine ægri levamine, &c. (*). Ex hiſce omnibus manifeſte patet, febrim hanc eſſe longe periculoſiorem, & plus fovere malignitatis, quam febris noſtra catarrhalis, cui accedit ſignum illud eſſentiale, paroxyſmi ſcilicet exacerbantes & urina poſt ſingulum paroxiſmum cocta, cum ſedimento lateritii coloris, quæ in febri petechiali vera nunquam conſpiciuntur.

DIA-

(*) Hoffm. Syſt. 4. p. 258.

DIAGNOSIS.

Quam neceſſaria ipſa diagnoſis morborum medico judicatur, tam difficilis etiam eſt, circa pleroſque morbos, & præcipue hanc noſtram febrim, cum ſimplex non ſit malum, ſed duobus, ceteroquin diſtinctiſſimis, compoſita, unde non poſſit non, variis viciſſitudinibus & innummeris ſymptomatibus, primis præſertim diebus, nunc hunc nunc alium iterum morbum mentientibus, medicis illudere quaſi atque imponere, quæ omnia enumerare ſupervacaneum duxi, ne dicam id fieri non poſſe. Nonnullas itaque notas, illasque conſtantiores, pro viribus hic tradere conabor.

Dum primum malo hocce corripitur æger, & poſtquam ipſam maſſam ſangvineam intravit venenum, torpidus fit, cum frigore ſubcutaneo, non ſecus ac, qui inſvetus mane ſurgit, & deinde vacuo ventriculo, aëri frigido & humido corpus exponit, quo per aliquot horas male ſeſe habet, & ignavus quaſi ad omnes actiones ſuas cum ſpontanea laſſitudine redditur; cum dolore corporis & artuum gravativo; inappetentia; nauſea plerumque; capitis dolore & ſomno inquieto; alvo ut plurimum adſtricta; Coryza, vel capite quaſi ad ſinum frontis infarcto, unde dolor gravativus, adeo ut plerique ſeſe catarrho laborare querantur; cervix multis rigida eſt, nec absque acuto cruciatu tantillum mobilis.

At hoc ſtatu & hiſce malis levioribus infelices diu verſari, non ſinit febris hæc maligna, inopinato enim eosdem aggreditur frigore ſenſibili, &

interdum concuſſorio, cum pallore, reſpiratione difficili, pulſu parvo citato, dolore ſpinæ dorſi & lumborum, & apud alios, conatu vomendi. Quæ per unam alteramve horam continuantur. Urina cruda eſt & tenuis.

Frigus excipit calor urens, cum odioſa ſiccitate, quæ per noctem maxime infeſtat, mane vero remittit, in ſpem futuræ criſeos, quæ etiam, laxatis ſpiraculis oboritur, parva licet & ſine perfecta apyrexia.

Continuatur deinde febris benigna, continua, ad meridiem vel ultra, quo tempore atrociſſima pleraque ſymptomata aufugiunt, in quorum locum ſuccedit facilitas reſpirationis, calor modicus; pulſus febrilis, mitis, parvus, æqualis; lingva mollis, & plerisque per omnem morbum ſanæ ſimilis, ſed fere primis diebus interdum albicans, & dein ejusdem coloris cruſta obſita; vel interdum velamine fuſco, pedetentim nigreſcente, tandem rimas agente, dorſum obducta; tuſſicula cum copioſo muco, & qui maxime infeſtat, langvor ſatis conſpicuus. Urina prodit rubeſcens, cito in vaſe turbata, mox ad fundum hujus depoſitura ſedimentum largiſſimum, lateritii coloris.

Sed non ſemper eandem ludit ſcenam; alii enim frigus hoc concuſſorium recuſant; ſed compenſatur malum, langvore & torpore, dolore extremorum graviori, dorſum ſubinde occupans & lumbos, & ſic progreditur inſidioſa hæc febris, variis viciſſitudinibus ad 6. 7:ve diem, dum nova aggreſſione paroxyſmum, una cum torminibus in inſtanti recrudeſcere facit.

Revertitur paroxyſmus cum manifeſta ſymptomatum exacerbatione, ſingulis diebus, horis communiter

ter pomeridianis, inter 12. & 3. vel 4:tam. Increſcit deinde horis veſpertinis, matutinis vero iterum remittit, & levi ſudore una ſolatium affert non minimum.

Symptomata unicuique comitantia paroxyſmo præcipua ſunt: Phlogoſes genarum ſatis conſpicuæ; augetur pulſus & mutatur in fortem, magnum ac celerem; ſequitur calor æſtuans & exurens, interna ardent & fauces arent, lingva ſicca arida, absque tamen putamine; jactitatio in lecto; angor animi & ſumma anxietas præcordiorum, cum reſpiratione perdifficili; lacrymæ; ſubſultus tendinum; mali ex ſtomacho in capite aſſenſus, unde dolor atrociſſimus, delirium. Urina cruda conſpicitur, absque ſedimento, rubedine interdum multa tincta.

Criteria itaque non nulla febris hujus Amphimerinæ, diagnoſtica, ex hactenus dictis ſuppeditabimus:

1.) Quod ſcilicet periodice ſingulis diebus revertitur paroxyſmus, cum manifeſta ſymptomatum exacerbatione & remiſſione.

2.) Pulſus, vigente paroxyſmo, augetur, & quoad celeritatem & fortitudinem.

3.) Sudoribus periodicis, ſub finem cujuscunque paroxyſmi, æger perfunditur.

4.) Urina, durante remiſſione, laudabile utplurimum deponit ſedimentum, lateritii coloris.

5.) Maculæ apud pleroſque, diebus intra 4 & 7:mum prodeunt, ni congruentibus remediis, & prudenti regimine præveniantur; in dorſo potiſſimum & pectore, in aliis copioſiores, in alis pauciores, coloris varii, vel in pleriſque purpurei, morſus inſtar pulicum.

Fateor quidem, quod febris hæc ſæpenumero variis ſtipata ſymptomatibus mali moris, naturam quaſi opprimentibus, vel exercitatiſſimos medicos interdum ludat; dum ſcilicet vel Pleuritidem, vel coleram vel colicam & id genus alia mentitur, quo caſu, nominari ſolet *ſpuria*; quam tamen non adeo ſimulare poſſe crediderim, quin hiſce inſigniis atque criteriis recenſitis larva detracta, videat medicus illam obſervare genium amphimerinæ.

SUBJECTA.

Homines varii ſexus, ſtaturæ, ætatis atque conſtitutionis, illos vero præſertim, qui maſſam ſangvineam impuram gerunt, aggreditur Amphimerina, tempore præcipue epidemico.

CAUSA.

Quænam cauſa luis hujus epidemicæ genuina, & quoquo modo ipſam craſin ſangvinis & humorum mirum quantum exæſtuantem faciat, non facile dixerim, quæque ratio, cur quovis die & certis horis, gravioribus ſymptomatibus ſtipata ſemper redeat. Experientia vero præeunte, illam procatarticam paucis attingam.

Epidemicas has febres eſſe, ac a præternaturali & mira conſtitutione temporum tempeſtatumque oboriri, haud pauci aſſerunt autores; imprimis multiplici conſtat obſervatione, quod ſubitæ & inſolitæ aëris viciſſitudines & mutationes ex frigido in calidum,

dum, ſicco & humidum, nullo non tempore cauſari febres varias mali moris; huc accedit certa & ſingularis tempeſtatum craſis, autumno imprimis & vere, quam ope vaſorum bibulorum & inſpiratione corpus attrahit, unde non poſſit non innumera exoriri mala, febres præſertim intermittentes, idque eo facilius, ſi corpus ab externis aëris injuriis, veſtibus non bene obfirmatum ſit. Hinc SANTORIUS A SANTORINO: *Nulla ægritudine vernali aut autumnali vexaberis, ſi frigus inveniat te veſtibus bene munitum.* Cauſas itaque epidemicas febrium non nullarum exacerbantium & intermittentium, certo imprimis tempore graſſantium, amice conſpirare, non omni caret veritatis ſpecie, in his licet ſit levior & minus deleteria, in illis morbidiores producit effectus.

Non vero ſemper epidemica eſt febris amphimerina, ratio tamen eadem eſſe videtur, ſcilicet ſubita mutatio tempeſtatum, dum ferventem excipit valde frigida, vel dum corpus calidum & æſtuans frigori dedimus; unde omnes excretiones ſupprimuntur, pori conſtringuntur, ad interiora retropellitur materia impura, ſangvinem ferventem reddit, ſolida corrumpit, obſtructiones varii generis, febres intermittentes præſertim & exacerbantes producit. Hinc facile judicium eſt, cur in Italia menſe Julii adeo periculoſum ſit contendere Roma Neapolim, cum poſt diuturnum calorem, corpus veſpertino frigido, humido aëri exponant, teſte *Hoffmanno* ſyſt. 4. p. 229.

Sed cur aliena provocem, dum domeſtica experientia de hac re nos ſatis reddit convictos, quæque non tantum meo, ſed etiam aliorum popularium, qui hoc morbo ad incitas pene redacti fuere, calamitoſo diſcrimine ſtabilitur. Anno

Anni 1748. menſe Septembri, nonnulli ſtudioſi, natione Fennones, Stockholmia profecti ſunt Upſaliam, & poſtquam aliquantiſper in diverſoriis commorati ſunt, corpora ad ignem plus ſatis caleſcentia, maximo frigori & aëri humido noctu expoſuerunt. Quo facto, omnes & ſinguli, poſt reditum, febri hacce petechizante correpti, morti pœnas dederunt. Erat autem morbus manifeſte contagioſus, quippe qui conterraneos, tantum non omnes, qui amicos inviſerant, ut & præ reliquis hos, qui multum apud ægros verſari neceſſe habebant, ad orcum demitteret, quo adhuc dolemus amicum *Rheinholdum Haſt*, ad Zoologiam, quaſi natum, qui aliorum vitæ conſulturus, ſuam amiſit.

1749. Diſcipulus J. F. v. A. valetudine, maſſaque ſangvinea abundans puriſſima, tempore autumnali humido, frigido, Stockholmia noctu iter faciens, Upſaliam pervenit. Poſt aliquot dies dolore afficiebatur capitis, cum levioribus horripilationibus, & presſionibus ſubcutaneis; alias valuit. Duabus vero prælapſis hebdomadibus, omnia ruebant in pejus, corripiebatur frigore concuſſorio, & febri hacce petechizante lecto detentus eſt. Illo vero, qualicunque mea opera & cura, auſpicatiſſimo ſidere ad meliora reſtituto, eosdem radios in eodem morbido pulvere ducere nolens volens cogebar, nec ſine ſummo vitæ periculo evaſi.

Plurima alia adducere poſſem exempla, ſed cum idem omnino demonſtrent, quod nempe omnes, niſi contagio infecti, qui hoc morbo laborarunt, eadem manifeſta cauſa correpti fuerint. Cui vero, variorum ingeniorum divortia, variasque rationes, pro & contra excogitatas perlegere, volupe fuerit, evolvat GEELHAUSEN *de febr. Mal. contag.*

PRO-

PROGNOSIS.

1.) Amphimerina hæc catarrhalis, in principio, primisque diebus, benigna plerumque eſt, & typum ſuum genuinum exacte ſervat, quo tempore minime exitialis; at incongrua medicina excepta, facillime degeneratur in malignam Petechizantem, & pro ratione globulorum ſangvinis rubrorum, juxta ſtatum plerumque tranſit in continuam malignam; unde methodus curandi admodum diverſa requiritur, & eventus vel dubius vel funeſtus evadit.

2.) Febris hæc nonnunquam, & in principio, ſi validiſſimis pharmacis debellatur, & poſt ſtatum morbi tranſit in intermittentem.

3.) Cortex Peruvianus quo citius eo certius, ſine dierum criticorum expectatione victoriam reportare ſolet.

4. Aliter non infrequenter, natura vehementiori aliquo ſymptomate opprimitur, paroxyſmi fiunt incerti, ſæpius in die redeuntes, & remiſſiones obſcuriores.

5.) Evacuationibus ſymptomaticis, ut hæmorrhagiis, vomitionibus & diarrhoeis, non ſemper fidendum.

6.) Venæ ſectiones non ſemper inſtituat medicus, niſi urgeant pletora & accedentia ſymptomata.

7.) Peſſimum eſt ſignum, ſi urina ptope ſtatum mutatur in tenuem & pallidam.

8. Amphimerina cortice curata, raro cum evidenti aliqua criſi valedicit.

9.) Criſis aliter mox tarda eſt, & terminatur per lyſin, mox copioſo ſudore ægrum morbo abſolvit.

CV-

CURA.

In principio morbi, & cum adhuc vires vitæ in ſuo vigore ſint, princeps remediorum eſt Ipecacuanha, vel aqua tepida, ſi æger ſaltem ſuapte conatu laboret vomendi. Hæc remedia, ſi non pateretur febricitans, & morbus hoc antidoto non fugeret, magna cum utilitate propinandum poſtero die laxans antiphlogiſticum. Hiſce enim mediis, focus febrilis, ſaburra & viſcoſum gluten primarum viarum una feliciter evacuantur; quo facto, febris aut tranſit in intermittentem, aut ita enervatur, ut aufugiant deinde plurima ſymptomata vehementiora, & morbus placide, nec cum ſummo vitæ periculo ſcenam ludat. Nec omittenda venæ ſectio, idque primario, ſi æſtuantes vel pletorici ſint, vel aliquo alio ſymptomate inauſpicato vexentur, ne tranſeat febris in inflammatoriam.

Si acceptis hiſce pharmacis, receptui non caneret febris maligna, ut ſtadium ſuum percurrat, neceſſe eſt; ideoque curæ cordique erit adſtantibus, ut aër in conclavi ſit purus; ut teneatur febricitans in lecto, modicisque & levioribus ſtragulis tectus, quo æqualiter perſpiret corpus; cavendum tamen ne ultra modum ferveat. Cibus erit tenuis, humidus.

Hiſce jam prælibatis, medicamina, pro ſuperſtite primarum viarum ſaburra corrigenda, ſangvini denſo, & hinc ferventi, reſolvendo, febrique, æſtu & ſiti, ex cauſis his pendentibus, frangendis, longo uſu certiſſima hæc comperta ſunt: Clyſmata ex ſero lactis, melle, aceto & nitro præparata, & quovis alterove die tepide applicata; Potus largus, ſaponaceus, refrigerans & putredini reſiſtens, cui ſcopo maxi-

maxime inſerviunt. Serum lactis dulcis vel ebutyrati cum ſyrupis refrigerantibus acidis; Cereviſia tenuis optima cum tantillo Spiritus nitri; & Julapium, ex ord. celb. D:ni Præſidis refocillans dictum, cum vel ſine vino; ℞ Aquæ hordei ℔j. Succi citri ℥j. Syrupi Ceraſer. nigr. & oxymelis ſimpl. āā ℥ß. M. addi poteſt pro re nata Vini Rhenani ℥iij. Nec negligendi pulveres refrigerantes, reſolventes & temperantes, ex Camphora, Nitro, Conch. citratis & Morſulis citri, juſta doſi & prudenti regimine propinandi.

Recrudeſcente vero paroxyſmo, varia eaque vehementiſſima exoriuntur ſymptomata, antea deſcripta: Anxietas ſcilicet ſumma præcordiorum, jactitatio in lecto, pulſus celerrimus, fortis, reſpiratio maxime difficilis, dolor capitis dirus, & id genus alia. Oriuntur hæc omnia forſan a ſpaſmodica contractione nervorum, difficilem ſangvinis circuitum per pulmones cauſante, unde reſiſtentia naſcitur cordi, hinc dyſpnoea, polypi, cetera. Sed metuendum imprimis, ne maculæ, ſi quæ adſint, interiora petant, unde brevi miſerrimus jugulatur, adeo ut vel in hoc articulo, ſine opio medicus eſſe nollem, ad quod tanquam ad ſacram ancoram ſemper confugi; propinato enim Laudano liquido *Sydenh.* ad guttas aliquot, in inſtanti, & miro modo ſublevatur pectus, anxietates judicantur, reſpiratio facilitatur, ſymptomata miteſcunt, & placido ſomno irrigatur æger; cœca ſic nocte quiete peracta, mane, ſpiraculis relaxatis, ſalutifero ſudore perfunditur corpus, mens reficitur; urina, aliter pauca copioſa redditur, hypoſtaſi copioſa, laudabili ſaturata. Efficitur ergo hoc medicamine, ut febris fit benignior, paroxyſmi tandem leviores, donec ipſe morbus pellatur.

Cum vero exanthemata regreſſum molierentur, exoptatiſſimo cum ſucceſſu propinavi ℈ß vel ℈j Lapidis de Goa, cujus baſis eſt Rad. Ligni Colubrin. veri, cum inſig. qvant. Ambræ (*), quod egregium Pharmacum mihimet gratioſe communicavit Celeb. D. Arch. C. LINNÆUS.

Si vero nec tantus animi angor, nec oppreſſio pectoris, cum difficultate reſpirandi perdira adſint, non temere exhibendum erit Laudanum, ſed ejus loco plurimum valere compertum eſt, doſin unam vel alteram pulveris Camphorati, in ipſo faſtigio paroxyſmi aſſumtam, quo remedio, æſtus ſangvinis apte compeſcitur, & diaphoreſis largior, remittente febre, haud parum promovetur.

Mane deinde, ſaltem ſi febris benigna ſit, egregie ſuppetias ferimus langventi naturæ, 30 vel 40. guttis Eſſentiæ Alexipharm. *Stahlii*, & Liquoris terræ foliatæ tartari, cum ſufficienti vehiculo diluente, ſaponaceo propinato.

Coincidit fere hæc methodus cum illa, qua plusquam trecenti febricitantium, anni 1743. tempore epidemico, ex ipſis orci faucibus feliciſſime, opere & cura celb. D:ni Arch. & Præſidis, erepti ſunt.

Sunt quidem ad huc ſexcenta alia ſymptomata, ut dolor capitis atrociſſimus, immodicus calor extremorum, delirium, hæmorrhagia, diarrhoea, cetera, quæ curam requirerent particularem; ſed cum hæc unicuique fere morbo ſemper aſſociantur, ideoque practicis plus quam familiaria, lubens eadem prætereo; legiſſe interim non penitebit D. D. *Kloekhoff*. opuſcula medica, alia.

CURA

(*) Vid. Diſſ. D. D. DARELII de *Ligno Colubrino* pag. 20.

CURA SPECULATIVA.

Pharmacis licet, jam ſupra memoratis, febris hæc apud tam multos feliciter judicata ſit, eis tamen medicum non ſemper poſſe fidere exiſtimaverim, præcipue ſi variæ obſtarent rationes, ne emeticum vel purgans, primis morbi nycthemeris propinare fas eſſet. Quod ſi vero genium & typum ſuum ſancte ſervaret amphimerina, noceret forſan, obſervatis obſervandis, ſi acidorum ope morbum exciperet medicus. Acida enim in febribus intermittentibus plus detrimenti, quam emolumenti adferre, ſola experientia ſatis ſuperque evincit, ni aperta urgeret neceſſitas, urget vero rariſſime, copia ſcilicet globulorum rubrorum. Quum itaque amphimerina typum imitatur intermittentis, non omni caret probabilitate; ſi acidorum uſus in curatione prorſus ablegamus.

Diaphoreticorum ingeſtione, ad ſanandos ferventes; nec ſeſe commendat medicus, hac enim cura, ſangvis partibus ſuis tenuiſſimis, fluidis, privatur, ratio globulorum rubrorum fit major, & tranſit febris in continuam malignam; hinc æſtus longe vehemens, capitis dolor intolerabilis, delirium, petechiæ, mors.

Amara itaque ut antiputredinoſa, ne credas velim memet commendare, repugnare enim itidem videtur ratio globulorum rubrorum, & calor ſummus. Antidotum vero, horum in claſſem forſan reperiamus divinum, multis teſtimoniis, multo abhinc tempore comprobatum, a recentioribus cum ratione irriſum, mihimet vero, ſemel iterumque licet, optato tamen progreſſu certe profecit.

Præmiſſis præmittendis, ſi propinatur pharmacum, *corticem* loquor *Peruvianum*, miro, neſcio quo

modo, ſaburram ventriculi ſuperſtitem, vel ipſum focum febrilem perdomat, ventriculum corroborat, nervis ſuccurrit, ſpaſmos ſedat, paroxyſmum propellit, urinam corrigit, & brevi ſanatur æger. Non ſecus ac heroicum illud remedium, *Radix* ſcilicet *Ononidis* (*), febrem Hungaricam certo certius propellit, quamvis proh dolor! non morbus ipſe ſolummodo, licet interdum, ut epidemica lues, plurimos cives & agricolas exurat, ſed & ſpecificum, medicis nonnullis, cum plurimorum vitæ jactura ignoretur.

Telam ſic, brevem licet, pro viribus pertexímus, qui plures vero cupit hiſtorias, una cum ipſo modo exhibendi corticem, adeat Celeb. Mortonem, Medicum rationalem, Practicum ſui temporis ſummum.

(*) Flor. Svec. 623.